



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Compendium Privilegiorum, Et Gratiarum Societatis Jesu

Pragae, Anno M.DCC.III.

VD18 13723553

P.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65423)

dines promoveant, ac si illi omnibus requisitis essent præditi. Gregorius XIII. pag. 72. & sequent. Ubi etiam prohibet hujus gratiæ communicationem, etiam iis, qui sua privilegia cum Societate participant, & participare poterunt.

Facultates, quæ præcedentibus §§. continentur, communicantur omnibus Provincialibus, exceptâ facultate extra tempora, quæ in Europa reservatur Præposito Generali.

§. 4.

Nostri post vota promoveri possunt.

Societatis Religiosi, emissis votis simplicibus, promoveri possunt, ex Gregorii XIV. Constit. ad Sacerdotium. pag. 98.

PARAMENTA.

Vide verbo *Sacra*. §. 2.

PRÆDICATORES.

Facultas Concionatores deputandi, &c.



Offunt Nostri, qui idonei reperti fuerint, deputari à Præposito Generali, ad prædicandum in quibusvis locis,

I

atque

atque adeò in plateis. Paulus III. pag. 7. Etiam si in sacris Ordinibus non sint constituti. Gregorius XIII. pag. 72.

Deputatio approbatorum Provincialibus conceditur, & quibus ipsi commiserint. Ceterum per Concilium Tridentinum sess. 5. c. 2. Nostri in Ecclesiis nostris, ut predicare possint, ultra deputationem Superiorum, egent benedictione Episcoporum: in alienis autem, egent eorumdem Episcoporum licentiâ. Ipsi vero Episcopis contradicentibus, Nostri nec in nostris, nec in alienis Ecclesiis possunt predicare: ut habetur eodem Concilio sess. 24. cap. 4. de Reform. Privilegium tamen, de quo supra verbo Confessarius. §. 2. vim suam retinet.

Vide verbo Confessarius. §. 2.



PRÆLATI.

§. I.

Deputati ad ministeria Prælatorum sub correctione Societatis sunt.



Repositi Nostræ Societatis non tenentur deputare Nostros ad ullum ministerium Prælatorum, nisi auctoritate litterarum Sedis Apostolicæ, quæ expressam de Societate, & hoc indulto mentionem faci-

fac
nū
stu
cū
Pa

Tr

N

No
sā
suf
leg
sa
Do
lus

tio.

res
dico
que
fibi
solu
de c

faciant : quod si aliquos deputent, nihilominus deputati sub correctione Ordinis existunt, possuntque ab eisdem Superioribus, cum id expedire judicaverint, removeri. Paulus III. pag. 10.

Servetur tamen, quod habetur in Concilio Tridentino sess. 25. cap. 12. de Regul.

§. 2.

Nullus Nostrorum ab externo excommunicari, &c. potest.

Nullus Prælati potest contra aliquem Nostrorum, aut contra alios nostrâ causâ, ferre sententiam excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, contra privilegia Societatis, per Paulum III. concessa usque ad xv. Kalen. Novembris, anno Domini 1549. & si feratur, est irrita. Paulus III. pag. 11.

Vide tamen, qua notantur verbo Exemptio. §. 1. in fine.

§. 3.

Facultas Superiorum in subditos.

Omnes Præpositi Societatis, ac Rectores, quoad Religiosos Societatis sibi subditos, possunt per seipos idem omnino, quod possunt Episcopi in Clerico & laicos sibi subditos, tam quoad facultatem absolvendi, & dispensandi in irregularitatibus, de quibus in Concilio Tridentino sess. 24.

cap. 6. quàm alias quascumque facultates. Concessit Pius V. Fratribus Prædicatoribus per Bullam dat. 21. Jul. 1571. Incipit: *Romani Pontificis: est 132. in Bullario communi.*

Videndum tamen est, quid per Bullam Cœnæ, & alias, revocatum sit, juxta notata V. Absolutio post §. 11.

Hæc facultas reservatur Præposito Generali, nisi prout in particulari suis locis reperitur communicata in hoc Compendio.

Vide verbo *Sede Vacante.*



PRÆSCRIPTIO.

Præscriptio non minor 60. annis valet contra Societatem.



Nulla præscriptio minor quàm sexaginta annorum, valet contra bona, personas, & loca Societatis, etiam de rebus forsan præscriptis, in quibus adhuc istud tempus non est absolutum, & aliis in posterum omnibus futuris temporibus. Concessit Eugenius IV. de plenitudine potestatis, Ordini S. Benedicti Congr. S. Justinæ per Bullam dat. 7. Kal. Mar. 1434. Incipit: *Et si ex debito: est 7. in Bull. Regul. Simili-*

m
Ca
10
un
Ju
15
in
Ca
No
30
10
Me
lan
sto
lus
tan
est
pra
rio
no
pro
P
Int

militer habetur per Bullas, Sixti IV. pro
 Canonicis Regularibus Lateranensibus, dat.
 10. Kal. Septemb. 1476. Incipit: *Dum ad
 universos*: est 10. in Bull. comm. §. 22. &
 Julii II. pro Olivetanis, dat. prid. non. Jun.
 1507. Incipit: *Etsi ad universos*: est 12.
 in eodem Bull. §. 28. & ejusdem Julii pro
 Canonicis Regularibus S. Salvatoris, dat. 4.
 Non. April. 1512. Inc. *Inter ceteros*: est
 30. in eod. Bull. §. 42.

Sed hujusmodi Privilegium ad spatium
 100. annorum Eugen. IV. extendit pro
 Monasterio S. Pauli extra muros, per Bul-
 lam dat. 7. Kal. Jul. 1442. Inc. *Ex Apo-
 stolica*: est 17. in Bull. Regul. §. 15. & Pau-
 lus III. pro Benedictinis per Bullam, da-
 tam Nonis Nov. 1537. Incipit: *Benignitas*:
 est 15. in Bull. comm. §. 6. Quæ centenaria
 præscriptio pridē concessa fuerat Monaste-
 rio SS. Trinitatis Benedictinorum ab Urba-
 no II. teste Cherubino in Scholiis Bullæ
 proximæ citatæ, in Comp. Bullarum.



PRIVILEGIA.

§. I.

*Interpretatio privilegiorum Papæ re-
 servatur.*

I 3

Nostro-



Nostorum privilegiorum per
 Paulum III. usque ad xv. Ka-
 lend. Novembris anno Do-
 mini 1549. concessorum, in-
 terpretatio reservatur Sedi Apostolicæ. Pau-
 lus III. pag. 12. Quin verò inhibitum est
 omnibus Prælatiſ, nè præſumant inter-
 pretari privilegia Nobis concessa, si-
 ve clara sint, quæ interpretatione non indigent,
 si-ve dubia contineant. Concessit Clemens
 IV. Prædicatoribus, ut patet ex Bulla, data
 Non. Julii. Anno 4. Incipit: *Ordinis Vestri*:
 est 12. in Bull. comm. §. 2. Sic habetur per
 plures Bullas Eugenii IV. pro Benedicti-
 nis, dat. 7. Kal. Mar. 1434. Incipit: *Etsi*
ex debito: est 10. in Bull. Regul. §. 18. &
 rursus pridie Kal. Jul. 1436. Inc. *Regula-*
rem vitam: est 9. in eodem Bull. §. 19. &
 Sixti IV. pro Canonicis Regularibus La-
 teranensibus, dat. 10. Kal. Sept. 1476.
 Incipit: *Dum ad universos*: est 10. in
 Bull. comm. §. 35. & Julii II. pro Olive-
 tanis dat. prid. Non. Jun. 1507. Incipit:
Etsi ad universos: est 12. in eodem Bull. §.
 37. & ejusdem pro Canonicis Regularibus
 S. Salvatoris. dat. 4. Non. April. Incipit:
Inter ceteros: est 30. in Bull. comm. §. 48.
 & Leonis X. pro Camaldulensibus dat. 4.
 Non. Jul. 1513. Incipit: *Etsi à summo*:
 est 2. ibid. §. 45.

Per

*Per hoc privilegium non derogatur illi ,
de quo infra §. 4. Et supra verbo Gene-
ral. §. 5.*

§. 2.

*Per unum aut plures actus non deroga-
tur privilegiis Et c.*

Si quando contigerit per unum aut plu-
res actus contra privilegia , indulta , gratias ,
& immunitates Societati concessa , aut ip-
forum aliquod , à quocumque , cujuscum-
que conditionis , dignitatis , gradûs , & sta-
tûs existat , ex negligentia , seu ignorantia ,
præsentium , & futurorum , quibus ea con-
ceduntur , aut alia quavis causa aliter at-
tentari , vel observari , scienter vel igno-
ranter ; nullum tamen propter hoc præ-
judicium indultis , gratiis , & immunita-
tibus ipsis generatur : sed illa in suo vigo-
re , & pleno robore firmitatis perpetuò
permanent. Sic habetur ex privilegiis Ca-
nonicorum Regul. Later. in M. S. fol. 50.
pag. 1.

§. 3.

*Interdicitur Nostris procuratio , &
usus exemptionis.*

Nulla persona Societatis privilegium ali-
quod contra communia ipsius Societatis
statuta postulare audeat , aut obtentum re-
tinere. Concessit Eugenius III. Cisterci-
ensibus per Bullam , dat. Kal. Aug. 1152.

Incipit: *Sacrosancta*: est 2. in Bull. comm. §. 3. Si quæ verò impetrabuntur hujusmodi à Sede Apostolica, vel ejus Legatis, sub quacumque forma, vel expressione verborum, irrita sunt & inania. Concessit Clemens IV. Cisterciensibus per Bullam, dat. 5. Idus Julii. Anno 1. Incipit: *Nè propter*: est 1. in Bull. Regul. & Julius II. uberius Augustinianis, Bullâ, datâ 24. Sept. 1508. Incipit: *Nihil est, quod sapius*: est 22. in eod. Bull. §. 3. Et hoc idem latius habemus per litteras Leonis X. pro Eremitis S. Augustini, juxta quas, si quæ privilegia à Nostris fuerint impetrata contra Regulam, aut Constitutiones, aut mores Societatis, nullius momenti, ac pro infectis habenda sunt, etiamsi à Sede Apostolica sint concessa, nisi eisdem Leonis litteris de verbo ad verbum, consentiente Societate, sit derogatum. Habetur in privilegiis dicti Ordinis, fol. 47. pag. 1.

§. 4.

In dubio, in favorem Societatis interpretandum.

Quoties dubium fuerit in intellectu privilegiorum nostræ Societatis, semper per Jurisperitos, & alios Judices, in favorem Societatis fiat interpretatio. Concesserunt plures Pontifices per Bullas, citatas hoc Titulo §. 1. Sixtus IV. §. 34. Julius II, in

II. in utraque Bulla §. 2. Leo X. §. 4. Præ-
terea Paulus III. in Bull. comm. Bullâ
1. §. 23. & Gregorius XIV. ibid. Bullâ
18. §. 8.

§. 5.

Per non usum non derogatur privilegiis.

Possumus uti privilegiis Nobis conces-
sis, etiamsi propter simplicitatem, aut juris
ignorantiam, eis non fuerimus usi retro-
actis temporibus, dummodo eis non sit per
præscriptionem, vel aliàs legitimè deroga-
tum. Concessit Nicolaus IV. Carthusien-
sibus, per Bullam, ut constat ex eorum Pri-
vil. fol. 20. & ex Comp. Min. V. *Privile-
gia Fratrum.* §. ult.

§. 6.

Quæ privilegia facta Generali valeant.

Omnia privilegia facta Præposito Gene-
rali, vel Societati, sive per se, sive per com-
municationem, sive sint facta in forma Bre-
vis, sive per supplicationes expedita, in qui-
bus placuit, ut signatura sola sufficeret,
eamdem omnino vim & efficaciam habent,
tam in iudicio, quàm extra iudicium, ac
haberent si plumbeo sigillo essent obsigna-
ta. Concessit Iulius II. pro Eremitis S.
Augustini, per Bullam, dat. 24. Sept. 1508.
Incipit: *Nihil est, quod sapius: est* 22. in
Bull. Regul.

§. 7.

Originalibus privilegiorum aliorum Ordinum uti possumus.

Privilegiis originalibus, aut transsumtis authenticis Ordinum Eremitarum S. Augustini, Carmelitarum, Minorum, Minimorum, ac Servorum MARIÆ, exhibitis in favorem Ecclesiarum, Domorum, ac Collegiorum, seu personarum Societatis, eadem fides, tam in iudicio, quàm extra habenda est, ac si pro & in favorem Societatis à Sede Apostolica emanassent, & eidem immediatè concessa forent. Concessum est Dominicanis, per Bullam; ut in Comp. Min. V. *Privilegia Fratrum*. §. 6. Et alia etiam plura debent concurrere, ut aliquod ex Nostris Privilegiis derogatum censeatur; ex Bulla Leon. x. pro Camaldulensibus, dat. 4. Non. Iul. 1513. Incipit: *Etsi à summo*: est 2. in Bull. com. §. 46.

Sed consulenda Bulla Urbani VIII. 155. in Bull. communi, per quam hoc indultum magna ex parte sublatum est.

§. 8.

Privilegia aliis concessa Societati non præjudicant.

Nullæ litteræ, seu privilegia Apostolica, quibusvis personis, & quibusvis Collegiis, Capitulis, Universitatibus, seu Conventibus, concessa contra tenorem privilegiorum, quæ Nobis concessa sunt, præjudicant Societa-

cietati, ejusve Domibus, locis, aut personis, nisi in eis cum expressione Ordinum, etiam Mendicantium, & illorum Religiosorum de Societate, & illius, ac ejus Domibus, ac Nobis concessis privilegiis, nec non quoad concedenda privilegia, & litterae, de Praeposito Generali Societatis, qui pro tempore erit, specialiter & expressè, ac de verbo ad verbum mentio facta fuerit. Concessit Eugenius IV. Dominicanis, ut in eorum privilegiis, fol. 108. pag. 1. & seq. Per privilegia verò Benedictinis per Eugenium IV. ac Leonem concessa, de quibus in manuscriptis, fol. 42. pag. 2. & seq. alia etiam debent concurrere, ut aliquod ex Nostri privilegiis derogatū censendum sit.

S. 9.

Laesio facta personis, juribus, &c. non tenet, &c.

Si qua laesio facta sit per quosvis cujusvis status, quocumque modo vel formā, vel in futurum fiet personis, juribus, & rebus, ac bonis Societatis, licet culpā Nostrorum, aut Procuratorum Societatis, seu Domorum, aut Collegiorum, ipso jure non tenent; nec est opus restitutionem in integrum pro laesione hujusmodi impetrare. Concessit Joannes XXIII. in favorem Monachorum Congregationis Montis Oliveti per Bullam, dat. 11. Kal. Febr. exstat in

libro Privilegiorum ejus Ordinis, impreso Fulgineæ, 1556. fol. 18.

§. 10.

Excommunicantur temerè contradicentes.

Quicumque alicui concessionum Nostrarum temerè contraire ausi fuerint, excommunicationem incurrunt, & ut tales sunt publicandi: quòd si sint Clerici, præter hoc privantur dignitatibus & beneficiis Ecclesiasticis, ità ut liberè possint impetrari. Concessit Leo X. Augustinianis, per Bullam non authenticatam, ut in Comp. Min. V. Privilegia Fratrum §. 21. Similis concessio pro Prædicatoribus, & Minoribus habetur per Bullas Sixti IV. in Bull. Regul. est 20. in §. 10. & 33. in §. 53. Prima dat. 7. Kal. Aug. Anno 8. Incipit: *Sacri Prædicatorum, & Minorum Ordines*: Secunda prid. Kal. Sept. 1474. Incipit: *Regimini universalis*. Præterea idem indultum Augustinianis Bullâ 34. & Carmelitis 37. ejusd. Pont. in eod. Bull.

§. 11.

Omnia privilegia, &c. approbantur à Gregorio, XIII.

Omnia privilegia Societatis, facultates, exemptiones, immunitates, gratias, & indulta, tam per suos Prædecessores, quàm à se concessa, Motu proprio, certaque scientia

entiã, ac de plenitudine Apostolicæ potestatis approbat atque confirmat Gregorius XIII. pag. 66. & 77.

Vide verbo *Communicatio gratiarum*. & verbo *Generalis*. §. 8. Et qualiter personæ Ecclesiasticæ, in dignitate constitutæ, teneantur Nostra Privilegia publicare, &c. Vide juxta ea, quæ habentur verbo *Conservator*. §. 8. Et quòd non derogentur per Bullam Cœnæ tempore Gregorii XIII. Vide verbo *Bulla Cœna*. §. 2.

§. 12.

Privilegia nostra integre, & ad verbum intelligi debent.

Ex concessione Julii II. pro Augustinianis per Bullam, non authenticatam, Privilegia Nostra integre, & ad verbum, ut sonant, plenissimè, atque inviolabiliter ubique gentium observari debent. Habetur in *Comp. Min. V. Privilegia Fratrum*. §. 17.




PROCESSIONES.

Exemptio à processionibus.



Eximuntur & liberantur No-
stri ab interessentia in supplicationibus, seu precibus, & processionibus publicis; in-

hibenturque Ordinarii quavis dignitate fulgentes, nè Nostros ad interessendum dictis processionibus quovis modo cogere, seu super præmissis inquietare, seu inquietari facere audeant, vel permittant. Gregor. XIII. pag 49. & seq.



PROCURA- TOR.

Facultas Procuratoris generalis.



Procurator Generalis Societatis à Præposito Generali institutus, eo ipso omnium Provinciarum, locorum, ac personarum Societatis quasvis causas, etiam speciale mandatum requirentes, juxta potestatem sibi à Generali Præposito traditam agere potest. Concessum est à Martino V. Dominicanis, per Bullam dat. 7. Kal. Junii. Anno 3. Incipit: *Regimini universalis.* Habetur in Privilegiis ejus Ordinis, impressis Romæ 1555. fol. 106. pag. 2. & à Bonifacio IX. dat. 5. Kal. Maji. Anno 13. Incipit: *Personam tuam*: ibid. fol. 95. pag. 1.

Potestas ordinaria ea censebitur à Præposito Generali tradita, quam Procurator in Officio suo præscriptam habuerit.

De-

De Indulgentiis, quas Nostri Procuratores externi consequuntur, vel consequi possunt, vide verbo *Indulgentia*. §. 29. & seq. & vide etiam quod habetur verbo *Interdictum*. §. 2.



PROFESSI.

§. 1.

Ipsorum habitatio in Collegiis.



Nostri, qui senio confecti sunt, vel infirmitate gravati, & ad operandum in vinea Domini non idonei, etiam si Professi sint, possunt de licentia Præpositi Generalis, vel inferiorum, quibus hanc facultatem communicaverit, habitare in Collegiis, & ex eorum redditibus sustentari. Julius III. pag. 23.

Hanc licentiam possunt Provinciales concedere: si prius Præpositus Generalis commode admoneri nequeat: postquam verò concesserint, Præpositum Generalem admoneant.

§. 2.

Facultas mittendi Nostros ad quascumque Religiones.

Potest Præpositus Generalis etiam Professos, quos judicaverit, à Societate emit-
tere;

tere; ipsique de ipsius licentia non tantum ad Carthusiensem, sed ad quemvis alium Mendicantium, vel non Mendicantium, pariter, laxioris, arctioris, observantiae Ordinem, per ipsum Praepositum Generalem illis praescribendum (de consensu tamen Superiorum loci illius, quod destinabuntur) demigrare: in eisque Professionem per illius Monachos, aliosve Regulares emitti solitam, emittere, habitumque suscipere, eorumque consuetam uti disciplinam. Ipsisque inhibetur, sub poena excommunicationis latae sententiae, ne quid contra praesentium tenorem audeant attentare. Gregorius XIII. pag. 71. ubi & prohibet hujus gratiae communicationem, etiam his, qui sua Privilegia cum Societate participant, & participare poterunt.

An hodie post Concilium Tridentinum sit licitum differre Professionem finito Novitiatu, ut ante Concilium licebat, vide supra verbo *Concilium Tridentinum*. Vide etiam quod habetur supra verbo *Apostata*. §. 10.



PROVINCIALES.

Pro-

Pr

litu

ubi

par

psu

bo

23

24

25

xi

fo

po

ad


Provincialis electio in locum demortui.



Ortuo Provinciali in partibus longinquis ac remotissimis, potest alius ejus loco eligi, dū alius per Generalem Præpositum mittitur. Paulus III. pag. 14.

Non utantur Nostri hoc privilegio: sed ubi opus erit, sequantur, etiam extra Europam, quod IV. Congregatio generalis præscripsit Can. 22.

Vide verbo *Indulgentia*. §. 10. & verbo *Notarius*.



QUARTA.

Vide verbo *Exemptio*. §. 5.



RELIGIOSUS.



Otu proprio, certaque scientiâ, ac de Apostolicæ plenitudine potestatis, declarando statuit ac decernit Gregorius XIII. non solum eos, qui in Coadjutorum formatorum, sive Spiritualium sive Temporalium, Societatis gradus & ministeria admittuntur, sed & alios omnes, qui in ea
bien-